opera ὀιᾳ Exegetica Patris mei τοῦ μακαρίτου quatuor distinctis partibus prodierunt his nundinis. Restant apud me opera didactica et Polemica. Faciat Deus ut et illa me vivo lucem aspiciant! ἔξεχε ἢ ἴδε ἦλιε! in me nulla erit mora, qui σὺν Θεῷ omnem lapidem moturus sim. Vale Corculum meum et saluta Charissimam tuam uxorem; quam προσμόβιμον à me habiturae, quam primum Instrumento transmisso me oblectaveris. Hanoviae a.d. 20 April 1647.

Saluta quaeso meo nomine Venerabiles viros Dn. D. Zwingerum et Dn. D. Beckium Dn. D. Buxtorfium nec non Dnum meum Gernlerum: ad quem proxime litteras dabo.

Tuissimus Pareus

τυμβογέρων nondum ὄντως Doctor Theologiae.

329. Salutem. Mi ocellissime Dn. Compater: Quando tandem canis meis Seriolem Daphnen gratulaberis! Petebas nuper exempla virorum, quibus absentibus nonnunquam collata ab Archi-Palatinis Theologis Parente meo τῷ μακαρίτῃ Decano nempe Samuele Pabianovio, Polono, et Petro Grapheo, Scriverio Juliacensi. Uterque mihi Heidelbergae familiarissime notus. Da quaeso operam, ut ab Facultate Theologica impetres Instrumentum in Pergameno, ut decet, conscriptum. Quas impensas feceris, fide optima, mente grata tibi refundam. Vereor ego, ne si diutius differatis haec mea gaudia, ego interea me vobis ad aeterna subducam. Quod si igitur dare vultis, date cito. ἤδη μέγα γὰρ ὁ βίος ὁ ἐχθρὸς ἐπισκαν ἄγει. Ad proximas nundinas Paschales expectabo cum instrumento Theologico libb. meos tres MSS. De Deo: quos certo remittes ut exscriptos postea à me recipias sic ego De Deo finiam vitam meam Cum Deo. Vale Corculum meum. Hanoviae ad. Kal. Martii 1647. Saluta ex animo Cl. Virum D. D. Beckium Decanum, Dn. D. Zwingerum, Dn. D. Buxtorfium; quos etiam, te non neglecturos post fata mea mihi demereberis. Iterum vale felicissime et cito responde.

Tuissimus Pareus.

vide ut per D. Köning tu Dn. Schoenauerum remittas. quos ad nundinas Paschales compellabo aut compellandos curabo Francofurti.

A M. Monsr Toussain Regent du College à Basle.